



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Adolescens Nobilis Patri, ut patiatur se abjecto Litterarum studio ad
bellum proficisci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

ADOLESCENS NOBILIS
PATRI,

*Ut patiatur se abjecto Litterarum studio
ad Bellum proficisci.*

Ad Deprecandum.

Quod jubes, Pater amantissime, ultrò ac volens exequor; chartis impallesco totus; ac licet exiguo admodum fructu, aut etiam nullo; hoc mihi est ad solatium satis, quod me audientem dicto, & ad quoslibet nutus tuos obsequentem habes. At si penitissimos animi mei recessus, cum eâ, quâ par est, observantiâ, amantissimo Patri recludere liceat, nihil ego dubitem confiteri, quantò lubentiùs, abjecto Litterarum studio, militaris disciplinæ labores amplecterer. Nam quid diutiùs hinc moror, & primævum Juventutis florem ac vigorem frustra contero in his studiis pertractandis, quæ summum pariunt nullo cum emolumento fastidium, quibus & ineptam prorsus indolem experior. Quantò meliùs ac feliciùs tractarem arma, Pater! Ah! nisi me voluntatis tuæ ratio, cujus imperium & verebor semper & amabo, intra Gymnasii septa retineret, dudum me grandiosem jam natu inter puerorum greges & Myrmidonum catervas otiosi turpiter piguisset: jam erupissem è latebris, & ad arma convolâssem, quorum desiderium, & amorem nihil est hic penitus, quod nõ acuat & accendat. Nam quoties permixtos Achivis Troas lectito, utinam, tacitus ego mecum medias inter Batavorum ac Germanorum acies ita-

O

rem,

rem armatus ! quas non hostium frages ederem ! Si decertantes video commilitones de ingenii laureâ, continuò increpitans moras exclaimo, quantò nobiliores in campo Martio laurea demeterem ! Cùm edita passim à veteribus Romanis fortitudinis exempla narrantur, tum animo subeunt illustria Majorum nostrorum, tuâque ipsius, Pater amantissime, facinora, quorum æmulator esse, si per te liceat, quamprimùm velim. Hoc patere, amabo, Pater, hoc indulge charissimo filio, virtutis tuæ testis ac specularor esse, dum bella fervent, ut possim. Nihil te hanc mihi fecisse copiam pigeat, nec si bene me novi, degenerem ab avitâ virtute filium videbis. Vale.

RESPONSIO PATRIS.

Ad Commonendum.

Equidem, Fili amantissime, laudare satis non possum, quam præ te fers placendi nihil & obsequendi voluntatem. Est hoc indolis illius, quam suavissimam nactus es, hic fructus est Institutionis bonæ, quam dedi, quem uberrimum extitisse, mihi vehementer gratulor. At num ego tibi videbor fortè durior pater, si, quod à me postulas tam enixè, item & tam modestè, infectum velim ? Sic est tamen, Fili amantissime : non probatur Patri quod petis, neque me si amas, quod decurris Litterarum studium abrumpes. Atenim ingenio non vales, & in Litteris parùm proficis : modestum te sanè plus æquo, & abjectiùs, quàm par est, de te ipso sentien-